DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

COLLECTANEA QVAEDAM

DE GASTRITIDIS

MORBORVMQVE

QVI EAM SEQVVNTVR, PATHOLOGIA

QVAM

IN ACADEMIA LIPSIENSI

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRO SVMMIS

IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS

RITE CAPESSENDIS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONCESSV

IN AVDITORIO IVRIDICO

D. IV. A. CALEND. APRIL. A. MDCCCXXII

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

FRIDERICVS GVSTAVVS POHL

LIPSIENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS

SOCIET. NATVR. SCRVTAT. LIPS. SODALIS.

LIPSIAE

LITTERIS STARITZII, TYPOGR. VNIVERS.

VIRO

EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO

FRIDERICO AVGVSTO BENIAMINI PVCHELT

PHILOSOPH. MEDICIN. ET CHIRVRG. DOCTORI, MEDIC. PROFESS. PVBL. ORDINAR. DESIGN. INSTITVT. POLICLIN. MODERAT. MEDICO PAVPERVM LIPS. CVSTOD. BIBLIOTH. GEHLERIAN. SOCIET. OECONOM. ET NATVR. SCRVTAT. LIPS. SODALI

ET

VIRO

EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO

LVDOVICO CERVTTI

PHILOSOPH. MEDICIN. ET CHIRVRG. DOCTORI, ANATOM. PATHOLOG. PROFESS. EXTRAORD. DESIGN. MEDICO PAVPERVM LIPS. SOCIETAT. OECONOM. ET NATVR. SCRVTAT. LIPS. SODALI

FAVTORIBVS ET PRAECEPTORIBVS

SVMMOPERE COLENDIS

HASCE

LITERARVM SVARVM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLVIT

AVCTOR.

PRAEFATIO.

Quemadmodum raro tantummodo contingit iunioribus artis salutaris cultoribus, ut oblata sibi publice scribendi occasione ita uti possint, ut vel artis suae noui aliquid in lucem proferant, vel morbum saltem a se obseruatum diligentius describant atque accuratius explicent: ita ego quoque libere profiteor, diu me multumque haesitasse, quodnam inauguralis dissertationis meae argumentum eligerem. Sed semouit hanc dubitationem meam Exc. atque Exp. CERUTTI, fautor et praeceptor egregius. Is enim ut de gastritidis pathologia scriberem auctor mihi fuit et suasor, maxime propterea, quod istam inflammationem, chronicamque potissimum eius speciem, pauci tantummodo scriptores accuratius tractassent, eamque multi confunderent cum aliis morbis ventriculi, inter hos inprimis cum ventriculi atonia. Sed quamvis de gastritide chronica po-

tissimum disserere constitui, plura tamen, etsi notissima, liceat de gastritide acuta praemittere, partim, quod utraque gastritidis species plures caussas et symptomata communia habeat, partim, quod morbi quidam exstent secundarii, qui et acutae, et chronicae ventriculi inflammationi originem suam debeant. Suscipio igitur hoc negotium, ad quod cl. praeceptor me benevole admonuit, operamque in eo ponam, ut illud pro virium tenuitate et temporis breuitate feliciter ad finem perducam. Denique nihil magis opto, quam ut hoc specimen inaugurale lectores beneuolos et iudices aequos sit habiturum.

PARS I.

De gastritidis diagnosi, aetiologia et prognosi.

§. 1.

Priusquam ad morbi, de quo disserere constitui, descriptionem me accingam, liceat nonnulla praemittere de primariis eius apud medicos partitionibus, quo possim postea, in describenda ipsa gastritide, istarum partitionum plures, eas maxime, quae quoad curationem minoris momenti sunt, silentio praeterire. Diuiditur autem gastritis in *primariam* et *secundariam*, cuius diuisionis fundamentum ex ipsis verbis patet; deinde in *uniuersalem* et *partialem*, prout ea ventriculum vel totum, vel ex parte tantummodo occupet; in *phlegmonosam* porro et *erysipelatosam*, prout inflammatio tunicas ventriculi vel profundius intret, vel in sola earum superficie contineatur; tum in *acutam* et *chronicam* secundum temporis, quod morbi stadia explent, vel breuitatem, vel diuturnitatem; in *epidemicam* denique et *sporadicam*, quarum illa interdum morbis epidemicis, in primis sub eorum fine, superuenit. Praeterea e febris, quacum coniuncta est, indole, ea vel *gastrica*, vel *neruosa*, vel *putrida* audit, ex eadem medicorum consuetudine, ex qua et illas inflammationes, quae ex metastasi, v. c. arthritica aut rheumatica, oriuntur, *arthriticas rheumaticasque* solent vocare. Denique non praetermittenda est ea inflammationis ventriculi diuisio, a nonnullis medicis recepta, ex qua vel *manifesta* ea sit, vel *occulta*, quarum illa perspicua habet inflammationis signa, haec autem obscuriora

ea, aut iis plane privata esse dicitur, ita, ut medici saepius ex inopinato inuenirent in cadaveribus inflammationis, quae ante mortem nullis sese prodidisset signis, vestigia; cuius rei exempla narrantur a STOLLIO, HAENIO atque aliis.[1]). Quae gastritidis species, si unquam exstet, neque sugillationes post mortem obortae forsan habitae fuerint pro inflammationis vestigiis aut ipsa gangraena, nec signa gastritidis, propter alios morbos cum ea complicatos minus clara et perspicua, omnem effugerint medicorum cognitionem, perexiguae tamen pro clinice utilitatis ea esset futura, quippe quae propterea, quod occulta sit, medicos prorsus lateret.

Paucis his de divisione expositis, propius ad rem meam accedo, primum de *acuta*, deinde de *chronica* gastritide ita dicturus, ut nonnullas huius morbi species subiungam, quae symptomatum diuersitate inter se differunt.

§. 2.

Gastritis acuta plerumque repente exoritur. Hinc prodromi raro in ea obseruantur. Si qua tamen occurrunt, leuioris affectionis gastricae, teste BROUSSAISO,[2]) formam habere solent. Ciborum enim desiderium adauctum quidem interdum deprehenditur, alimenta tamen assumta post aliquot horas caloris excitant sensum atque pectoris oppressionem e scrobiculo cordis exortam. Oris cauitas, pharynx atque tonsillae siccescunt plerumque, nec non lingua in apice atque lateribus suis sicca est et rubra, atque in media parte muco obsita albido vel flavescente. Praecedit haud raro quoque diarrhoea, rubet interdum coniunctiua at-

---

1) cf. RICHTERS specielle Therapie Tom. I. pag. 553.

2) BROUSSAIS Lehrstunden über die gastrischen Entzündungen a. d. Franz. v. Fr. Künlin. Bern bey C. A. Ienny. pag. 102.

que urethrae orificium, quo aegrotus in Venerem pronior fit[3]). Ceterum corporis calor augeri solet, accedunt volarum siccitas, insomniae, anxietas, nec raro animi facultates solito viuidius officio suo funguntur, aut aegroti ad animi pathemata procliuiores euadunt.

§. 3.

Plerumque tamen sine ullis prodromis gastritis acuta aegrotos corripit, in cuius symptomatibus enumerandis opus erit duas seiungere morbi species, *phlegmonosam* dico, atque *erysipelatosam*, quas tamen accuratius inuicem dignoscere difficillimum negotium est.

In gastritide phlegmonosa aegroti dolore fixo in regione ventriculi excruciantur, modo pungente et lancinante, modo urente, modo constringente, qui ex tactu externo et ingestis ventriculo quibuscunque, tum inspiratione atque tussi valdopere augetur; isque percipitur interdum aliis quoque in locis, uti sub diaphragmate, sub sterno, inter scapulas, atque in hypochondrio utroque, prouti vel ventriculi fundus, vel pylori aut cardiae regio affecta sit. Nam raro gastritis totum occupat ventriculum[4]). Imo in humero et brachio eiusdem lateris, quo in ventriculo inflammatio potissimum residet, dolor persentitur[5]). Epigastrium ipsum tumet atque calet, et summa simul agitatur anxietate aegrotus. Accedunt vomituritiones atque vomitus ipse, qui, ubi ad maiorem gradum peruenit morbus, non solum a cibis, verum etiam a potulentis assumtis insignem in modum augetur et summo cum dolore coniunctus est. Ab initio pauca tantummodo euomuntur, breui

3) Broussais l. c. pag. 103.

4) Voigtel Handb. der patholog. Anatomie. Halle 1804. Bd. 2. pag. 461.

5) Broussais l. c. pag. 105.

post autem omnia, quae ingesta sunt, tum pituita, bilis, imo et sanguis. Aegroti insigni excruciantur siti, et acidula inprimis et frigidiuscula appetunt, quibus tamen et dolores, quos dixi, fortius increscunt, et vomitus renouatus existit. Perit simul ciborum appetitus, lingua plerumque ruberrima est et siccissima; rarius muco scatet albido, flavescente vel fusco. Nonnunquam ructus accedunt amari, qui hepar affectum, id est, hepatitidem cum ventriculi inflammatione coniunctam testari videntur. Aluus clausa esse solet; raro diarrhoea obseruatur. Plerumque et cerebri et systematis neruosi functiones turbantur. Nam istis, quae enumeraui, symptomatibus vehementissima accedit cephalalgia in regione inprimis supraorbitali; accedunt porro deliria, modo mussitantia, modo furibunda, stupor, tremor artuum, conuulsiones, impedita loquendi et deglutiendi facultas, hydrophobiae quaedam phaenomena, trismus, tetanus, animi deliquia, atque insignis virium prostratio. Partibus ventriculo vicinis in morbi societatem vocatis, alia adhuc accedunt signa, quae ex illarum affectionibus pendent, qualia sunt tussis, haemoptoë[6]), retentio urinae atque icterus leuioris gradus. Pulsus plerumque frequens est, celer, paruus, contractus, saepe inaequalis atque intermittens, rarius fortis et magnus. Cutis sicca est, et frigent extremitates marmoris instar, dum interno uruntur aegroti calore. Palpebrae demissae sunt, languent oculi, et omni priuantur splendore. Quandoque et aphthae ante mortem proueniunt, quam ipsam denique nunciat facies hippocratica.

§. 4.

Nulla fere habemus signa certa, quibus inflammationem *phlegmonosam* modo descriptam distinguamus ab *erysipelatosa*, quod iam P.

6) Broussais l. c. pag. 107.

Frankius[7]) profitetur. Is ad signa gastritidis erysipelatosae refert febris inflammatoriae vehementioris absentiam, praegressam febrem nervosam vel gastricam, aphthas iam antea conspicuas, frigus externum, calorem internum, erysipelas aliaque exanthemata, quae gastritidem aut praecesserunt aut comitantur. Denique asserit, homines cachecticos magis dispositos et pronos esse ad gastritidem erysipelatosam, quam ad phlegmonosam. Sed quum et febris plerumque nervosam potius prae se ferat naturam, quam synochalem, et in unaquaque fere gastritide adsit frigus externum cum calore interno iunctum, ista, quae summus medicus enumerat, signa non sufficere mihi videntur ad constituendam certam speciei diagnosin. Contra multo maioris mihi momenti esse videtur corporis constitutio infirma et cachectica, summi autem erysipelas atque alia exanthemata vel gastritidem praegressa, vel simul cum ea praesentia. Ab aliis[8]) huc referuntur dolores minus atroces, anxietas insignis et continua, permagna atque subitanea virium prostratio, pulsus perparuus et frequentissimus. Quae tamen signa omnia nonnisi inter se coniuncta et simul venientia paulo certiores nos reddere possunt de erysipelatosa inflammationis natura. In uniuersum, quum symptomatum gastritidis magna sit differentia et variatio pro diuersa inflammationis sede, gradu, aegrotorum constitutione atque aetate, pro genio porro epidemico et complicationibus, cauendum sane est, ne singulis atque indiuiduis symptomatibus nimiam fidem habeamus.

§. 5.

His cum phlegmonosae, tum erysipelatosae gastritidis signis perpensis licet haud difficilis sit cognitu haec inflammatio, ea tamen, quae plu-

7) Epitome de curandis hominum morbis l. II. pag. 239.

8) cf. Grundriss der besondern Pathologie u. Therapie. v. I. W. H. Conradi. Marburg 1819. Tom. I. pag. 410.

rimum faciunt ad diagnosin constituendam, ex numero illorum nominanda sunt. Sunt autem ea fixus ille in epigastrio atque continuus dolor, ab ingestis ventriculo quibuscunque valdopere auctus, vomitus, et his adiuncta febris vehementior.

Iam vero nonnulli alii morbi a me commemorandi esse videntur, qui aliquam cum gastritide habent similitudinem. *Cardialgia* ab ea differt dolore periodico, eoque magis constringente, quam pungente, nec vomitus tantopere augetur cibis assumtis. Epigastrii regio retracta potius, quam tumida esse solet: febris nulla, urina non rubra, sed spastica et pallida. Tamen notandum est, cardialgiam vehementiorem interdum in gastritidem transire. In *cholera* autem obseruantur simul cum vomitu frequentissimo atque spontaneo praecipitatae alui deiectiones cum doloribus colicis in regione umbilicali atque hypogastrica media coniunctae. In *inflammatione musculorum abdominalium* in epigastrii regione tumorem externum habes calidum atque circumscriptum, nec cibi ventriculo ingesti vomitum mouent. Ab *inflammatione peritonaei*, *lienis*, *renum*, *vesicae urinariae*, *pancreatis*, *omenti*, *diaphragmatis* etc. gastritis eo differt, quod vomitus, qui pluribus illarum inflammationum proprius est, ex alimentis non augeatur, quod dolores porro alium occupent locum, quod denique in his inflammationibus nonnulla signa desiderentur, quae gastritidi propria sunt, et adsint contra alia, quae istis sunt peculiaria et pathognomonica. *Hepatitis*, quae, affecto hepatis lobo inprimis sinistro, facile ad ventriculum transit, simillima interdum est gastritidi. Desiderantur tamen ab initio ardor ventriculi atque vomitus cum dolore iunctus, non tam subito, quam in illa, cibis atque potulentis ingestis excitatus.

Ceterum P. Frankius contendit[9]), in hepatitide arteriarum pulsationes minus frequentes minusque exiles esse. Denique in *febre gastrica* atque biliosa haud raro dolet regio epigastrica. Sed dolor mitior est neque cum vomitu aeque vehemente coniunctus. Ubi autem vehementior fit, inflammati ventriculi suspicio est.

§. 6.

Difficilior redditur diagnosis gastritidis aliis morbis cum illa complicatis. Tunc nonnisi accuratissima omnium ac singulorum symptomatum contemplatio et iusta eorum aestimatio de vera morbi natura certiores nos reddere potest. Ita saepius coniungitur gastritis secundaria cum febre neruosa, gastrica, putrida, aut hae illi accedunt, choleramque vehementiorem gastritidem comitari videmus, hanc alias inflammationes abdominales. Quorum morborum signa si enumerare vellem, verendum esset, ne fines libello meo positos longe excederem. Ad morbos denique frequentissime cum gastritide complicatos et encephalitis pertinet atque hydrocephalus acutus, de quo infra, ubi de tunicis ventriculi emollitis sermo erit, fusius dicam.

§. 7.

In eruendis gastritidis *caussis* nominanda est constitutio irritabilis. Saepissime enim illa in infantibus atque iuuenibus obseruatur, rarius in senioribus. Deinde huc referendus est, ex Broussaisi [10]) opinione, calor externus, qui membranas mucosas tubi intestinalis, praecipue ventriculi, irritet, eas reddat siccas, calidas et rubras, ideoque quam maxime ad inflammationem procliues. Iis autem, quae saepis-

---

9) l. c. Tom. II. pag. 241.

10) Broussais l. c. pag. 95. 96.

sime hunc morbum excitant, caussis stimulos adnumerandos esse censeo tam externos, quam internos. Gastritis enim crebro procreatur ingestis in ventriculum corporibus acutis atque asperis, ossibus e. g., vitro, acubus, aliisque huius generis similibus. Pari modo hirudines deglutitae, vermes, qui in ventriculum irrepsere, et nimia ciborum copia inflammationem ventriculi procreare possunt, tum vulnera ventriculi, aut regionis epigastricae contusiones atque commotiones, equorum e. c. mulorumue calcitratu effectae [11]. Cartilaginis xiphoideae fracturae et luxationes saepius chronicam gastritidem efficiunt, quam acutam. Et herniae atque prolapsus huc pertinent. Saepissime et gastritis originem debet venenis acribus et corrodentibus, inprimis arsenico, hydrargyro muriatico corrosivo, aliisque metallorum oxydis, emeticis, catharticis, acidis mineralibus, alcalibus et salibus [12]. La Flizeus exemplum affert gastritidis letiferae post assumtam nitri unciam unam exortae [13]. Glacies atque aqua gelida hausta aeque ac potulenta alia nimis calida ventriculum inflammare possunt. Non minus nimius spirituosorum usus, cibi salsi, bilis acris huc pertinere videntur. Refrigerium quoque inter lavandum aut in balneo admissum, capitis et cerebri percussiones, et vulnera atque animi pathemata vehementiora a pluribus scriptoribus ad gastritidis caussas relata inuenio. Porro functiones cutaneae, haemorrhoidum mensiumque suppressio, ulcera incaute sanata, exanthemata intempestiue curata, vel sponte retrogressa, inprimis erysipelas et scabies haud parum facere videntur ad procreandam ventriculi inflammationem. Interdum etiam ar-

11) Voigtel l. c. pag. 461.
12) Broussais l. c. pag. 97.
13) Cf. Voigtel l. c. pag. 466.

thritica atque rheumatica inflammatio partium externarum ad ventriculum per metastasin abit, aut aliorum organorum abdominalium inflammationes ad ventriculum propagantur. Sed non internarum tantummodo partium inflammationes gastritidis caussae sunt, sed cutis quoque inflammationes variae. Multa enim exstant exempla erysipelatis [14]), scarlatinae [15]), variolarum [16]) atque exanthematum miliarium [17]), quae ventriculum, imo tubum intestinalem intrauerint. Ceterum gastritidem secundariam haud raro gignit febris gastrica, neruosa, putrida, tum flaua americana, cholera, et cardialgia vehementior.

§. 8.

Ex vniuerso, quem supra depinximus, morbi decursu manifestum est, gastritidem acutam ad periculosissimas inflammationes esse referendam, maxime propterea, quod ventriculo permagna insit sensibilitas atque inter eum arctissimus nexus intercedat reliquumque corpus, quo etiam fit, ut saepius conuulsionibus decedat aegrotus, priusquam morbus alium exitum ceperit. Infausta autem esse solet prognosis, ubi non partialis adest, sed uniuersalis ventriculi inflammatio, eiusque tanta vehementia, ut, quaecunque assumserit aegrotus, violento vomitu reiiciantur. Omnium autem celerrime morte finitur gastritis, quae vel in homine venit perquam sensibili, vel in venenis ingestis originem habet; nec minus morbum reddunt graviorem quaecunque complicationes, inprimis, quae cerebrum atque systema nervosum male afficiunt. Unde mali ominis potissimum sunt stupor, in-

---

14) P. Frank l. c. Tom. III. pag. 29.

15) ibid. pag. 70.

16) Voigtel l. c. pag. 471. et John Howship practical observations in surgery and morbid anatomy, illustrated by cases. London. 1816. pag. 253.

17) P. Frank l. c. Tom. III. pag. 137.

cubitus in dorso supinus, coma, suspiria, subsultus tendinum, tremor atque siccitas linguae, difficultas quaedam in antibrachio extendendo [18]), crebriora animi deliquia et pulsus exiguus, tremulus et intermittens. Periculum porro portendunt oculi semiaperti, languidi, splendoris expertes, et facies pallida atque collapsa. Malum quoque est, ubi aegroti, mitigata febre, respuunt cibos sibi oblatos [19]), et remedia, licet aptissima, statim ab initio morbi adhibita omni carent effectu. Meliora contra sperare licet, ubi lingua magis pallida et humida euadit, imminuitur epigastrii calor atque tumor, urinae excretio augetur, pulsus plenus, cutis calida et humida deprehenditur, denique redintegratur cibum potumque retinendi in ventriculo facultas.

§. 9.

Gastritis chronica interdum aliis succedit morbis, inprimis febribus gastricis acutaeque ventriculi inflammationi, quae male fuerint curatae. Nam superata febre vel gastrica vel pituitosa, si apex linguae adhuc perruber conspicitur, caletque et cutis et epigastrica regio, nondum sublata prorsus, quae in ventriculo erat, irritatione, tumque exhibentur aegroto ad reficiendas, ut aiunt, ventriculi vires aut cibi nutrientes, aut remedia tonica et stimulantia, maior facile exinde existit irritatio membranarum ventriculi, in chronicam haud raro, imo interdum in acutam gastritidem transitura. Sed *primariam* quoque obseruamus *gastritidem chronicam*, in cuius signis enumerandis solum Broussaisum sequi apud me constitui, qui quatuor gastritidis chronicae enumerat formas.

---

18) Broussais l. c. pag. 133.

19) Broussais l. c. pag. 132.

§. 10.

I. *Forma prima. Gastritis subacuta*[20]). Symptomata huius speciei maximam partem cum illis conueniunt, quae in gastritide acuta commemorauimus, licet sint istis multo mitiora. Ciborum desiderium valde deminutum plerumque est, et regionis cardiacae calor digestionis inprimis tempore adauctus. Dolor, quem in ventriculo persentiunt aegroti, obtusior est, quam in gastritide acuta, continuus tamen, atque ex ingestis ventriculo quibuscunque insigne habet incrementum, quo cibi interdum, sub sodae, quam dicunt, molestiis vomitu reiiciuntur. Is dolor quandoque ad diaphragma usque propagatur, indeque dyspnoeam excitat. Conqueruntur quoque haud raro simul aegroti de doloribus in regione cartilaginis xiphoideae, in humeris et pectore, cum tussi breui coniunctis. Ex consensu, qui est inter membranas mucosas, rubet lingua et orificium urethrae; accedit insignis virium muscularium prostratio, et vagi per artus dolores veniunt. Febris paullatim in hecticam abitura pomeridianas habet et vespertinas exacerbationes, tandemque ex affectis haud raro pulmonibus phthisi pulmonali vita terminatur.

II. *Forma secunda*, quam Broussaisus [21]) habet, parum a priore differre mihi videtur. Mitiora scilicet in ea symptomata sunt, nec membranae mucosae rubent. Ea, febre adhuc vigente, facile in acutam abire dicitur. Caussis remotis saepenumero tota euanescit.

III. In *tertia forma*, quam *dyspepsiam* vocat[22]), non ubique deest ciborum desiderium, imo in tempus aliquod stimulantium re-

---

20) Broussais l. c. pag. 178.

21) l. c. pag. 179.

22) l. c. pag. 180 sqq.

mediorum usu solet augeri. Cibi tamen assumti ingratum in ventriculo mouent sensum et lentissime concoquuntur. Corpus uniuersum languet et aegrotus digestionis tempore flatibus atque cephalalgia excruciatur. Lingua albida in apice rubra conspicitur, quod signum dicitur rarissime deesse; reliquae vero membranae mucosae non rubent. Haec forma, in qua ex Broussaisi opinione irritatio ventriculi diuersa est in diuersis eiusdem locis, ita, ut pars sana famem persentiat, cibique auide adeo assumantur, assumti tamen dolorem excitent cum febre coniunctum, in plures annos protrahi potest. Denique, qui ex hac gastritidis specie decedunt, in iis membrana mucosa ventriculi rubra fusca vel nigra conspicitur.

IV. *Forma quarta, hypochondria* a celeb. auctore illo dicta, in qua describenda omnia fere signa, quae a scriptoribus in hypochondria enumerantur, recensuit, adiectis epigastrii et hypochondriorum doloribus, minus huc pertinere mihi videtur. Broussaisus[23]) enim in ea gastritidem cum enteritide coniunctam in constitutione sensibili adesse dicit. Sed in huius formae descriptione fines, quibus inflammationis chronicae notio continetur, videtur ille transgressus esse.

§. 11.

Hinc facile patet, arduum interdum esse, chronicam ventriculi inflammationem bene cognoscere et ab aliis morbis similibus accurate distinguere. Facillime enim ea, in summum aegrotorum detrimentum confundi potest cum illa *dyspepsiae* specie, quae ex ventriculi atonia oritur. Haec enim eadem fere habet signa ac illa chronicae gastritidis

23) l. c. pag. 181.

species, cui Broussaisus idem nomen tribuit, quamque tertiam gastritidis chronicae formam fecit (§. 10. III). Sed, symptomatibus utriusque morbi paullo accuratius perpensis, inuenimus in inflammatione ventriculi chronica nonnulla signa, quae illi, quam dixi, dyspepsiae desunt. Huc potissimum pertinent, praeter linguam in apice rubram, febris accessiones post assumta alimenta in primis conspicuae et tensio calorque in epigastrii regione. Minus confert ad diagnosin firme statuendam caussarum indagatio, quum eaedem causae utrumque morbum progignere dicantur. *Cardialgia,* quamuis huic morbo simillima, dolorum tamen intermissionibus et febris absentia differt. Neque urinae conditionem negligendam esse puto, quae in chronica ventriculi inflammatione rubet potius, quam pallet. Difficillima etiam inter gastritidem chronicam distinctio est interque *scirrhum incipientem,* de cuius signis infra larga mihi erit dicendi occasio, quo ablegatos cupio lectores meos. Denique diagnosis multum quoque impeditur nostri morbi cum aliis complicatione, cuius generis inprimis sunt *tubi intestinalis, hepatis, lienis, pancreatis* aliorumque organorum abdominalium *inflammationes chronicae, indurationes* et *ulcera.* Quae si existunt, nonnisi accuratissima omnium ac singulorum symptomatum aestimatio rem clariorem reddere potest.

§. 12.

Si ad *caussas* inflammationis ventriculi chronicae respicimus, earum plurimas tales inuenimus, ex quibus et acuta huius visceris inflammatio (quae et ipsa ad gastritidis chronicae caussas referenda est) originem suam habet. Ad has pertinent nimia alimentorum, praecipue stimulantium, acrium et aromaticorum, copia ventriculo ingesta, nimius et continuus spirituosorum usus, medicamenta emetica, cathar-

tica et tonica: porro contusiones ventriculi, quae saepius chronicam progignunt inflammationem, quam acutam, thoraces feminarum et vita sedentaria[24]), qua organa abdominalia comprimuntur; tum calor externus, pathemata animi deprimentia, nostalgia in primis, nimia animi intentio, vigiliae, nec non haemorrhoidum atque mensium suppressio, et exanthematum aliorumque morborum metastases.

§. 13.

Quantum ad *prognosin*, gastritis chronica non tam repentinam quidem minitatur mortem, quam acuta, ipsaque rarius per se lethalis est, longe saepius per morbos secundarios: nihilominus tamen multum ex ea metuendum, quamuis non desint exempla, in quibus administratis remediis aptis profligata fuerit, vel sponte adeo euanuerit. At vero ubi in longum perdurat, facillime in scirrhum et carcinoma abit, aut, perturbato digestionis officio, febris hectica vel hydrops vitae finem imponit, aut pulmones in morbi societatem vocati exulcerantur, quo aegrotus vera phthisi pulmonali decedit. Rarius tamen gastritidem chronicam arbitror tam tristem habituram esse exitum, modo statim ab initio suo idonea semper adhiberentur remedia. Sed quoniam in prima eius origine difficilior diagnosis est, facileque ea confunditur cum aliis ventriculi affectionibus, inprimis cum cardialgia et atonia ventriculi, remediis antispasmodicis, tonicis et stimulantibus male in usum vocatis, in maiorem et talem gradum adscendit, ut ab ea raro absit exitus funestissimus.

24) Broussais l. c. pag. 176.

PARS II.

De vario gastritidis exitu.

CAPUT I.

De Resolutione, Suppuratione et Gangraena.

§. 1.

Resolutio, exoptatissimus gastritidis finis, cum in acuta, tum in chronica huius inflammationis forma potest euenire. Eam in *gastritide acuta* sperare licet, ubi caussae excitantes in ventriculum haud amplius agunt, nec subito eum destruunt; deinde, ubi auxilia statim ab initio morbi adhibita, largae inprimis venaesectiones, magnum afferunt et tale aegroto leuamen, ut ventriculi ardor atque dolores mitigentur, diminuatur epigastrii tensio, nec potulenta amplius vomitu reiiciantur; porro, ubi lingua, quae antea sicca fuerat, simulque aut perrubra, aut nigro muco tecta, humidior fit atque purior, aluus sponte soluitur, et pulsus maior existit atque fortior, tum et calor partibus externis aequaliter redit, et cutis turget atque humescit, et oculorum facies ad naturalem suum habitum accedit, capitisque euanescit obnubilatio; denique, ubi in urina largius excreta sedimentum conspicitur album atque aequale. Ceterum facile intelligitur, valdopere prognosin differre pro diuerso, qui sit, inflammationis gradu.

Crises in gastritide varias habemus. Frangitur enim morbus summo cum aegroti leuamine modo sudore uniuersali et super totum

corpus diffuso, modo excretionibus aluinis modicis, nullo tamen praesente tenesmo, qui intestini coli rectiue male irritati index esset futurus. Nec rarae sunt haemorrhagiae per anum atque vaginam criticae, praesertim ubi haemorrhoidum aut mensium suppressio morbum excitauerit. Et per parotides crises gastritidis interdum fieri putat BROUSSAISUS[25]. Denique in gastritide metastatica magnam spem afferunt, quae suppressa erant, exanthemata in eodem loco, quem antea obsederant, denuo prorumpentia. His tamen signis omnibus, si separatim veniunt, fides deneganda est, eaque iis tum tantummodo habenda, ubi eorum plura inter se coniuncta prodeunt.

In *chronicis* ventriculi inflammationibus rarius conspiciuntur crises tam apertae, si eas exceperis ventriculi inflammationes, quae aut menstruis, aut haemorrhoidibus, aut exanthematibus suppressis originem debent. Quandoque chronica gastritis in acutam transit, qua profligata et illa quoque euanescit. In aliis gastritis chronica typum febris intermittentis assumit: cui si medemur, simul quoque inflammationem tollimus[26]: in aliis denique arthriticis rheumaticisque articulorum inflammationibus ea iudicatur. Longe tamen saepius gastritis chronica e crisi non repentina, sed lenta potius, quam lysin vocant, in sanitatem transitum habet.

§. 2.

Suppuratio acutam multo frequentius, quam chronicam ventriculi inflammationem insequitur, eamque suspicamur futuram, ubi in gastritide acuta, eaque vehementiore, intra quatriduum, et ad summum intra septiduum molimina critica nulla apparent, aut crises im-

25) l. c. pag. 154.

26) BROUSSAIS l. c. pag. 192.

perfectae veniunt, aut dolor remittit quidem, manent tamen anxietas summa, nausea et vomitus. Ipsum autem gastritidis in suppurationem transitum nunciant dolor pungens in pulsantem mutatus, et coniunctus cum sensu ponderis regioni ventriculi impositi, horripilationes et febricula, quae sensim sensimque in hecticam mutatur, et post cibos assumtos nausea et pressionis in regione cardiaca sensus. Est autem hic gastritidis exitus magni periculi plenus, praesertim ubi ita rumpitur abscessus, ut pus in abdominis cauum effundatur, quo inter animi deliquia et magnum abdominis tumorem, vomitum cruentum et purulentum, interque conuulsiones subitus vitae finis est. Rarius accidit, ut, abscessu ventriculi cum peritonaei membrana concreto[27]), pus ad externas partes deueniat et per musculos abdominis exitum sibi paret vel in epigastrica vel umbilicali regione. Eiusmodi fistulae ventriculi, quarum exempla narrant Richtervs, Swietenvs, Sabatiervs, Larreyvs et alii[28]), saepius in vulneribus ventriculi occurrunt. Quae licet diutius perferri ab aegrotis possint, tamen satis infausta est earum prognosis, cum ocius serius febris hectica exoriatur, ex qua decedat aegrotus. Nec ullum inueni apud scriptores exemplum fistulae ventriculi persanatae. Maior aliquanto spes est in abscessu versus interiora aperto, quo pus sanguine plerumque mixtum aut vomitu aut ano eiicitur. Si vomicae parietes coalescunt, restitui aegrotus potest, sin minus, febris hectica vitae finem affert. Ita Hallervs (opusc. patholog. obs. XXIII) casum narrat ventriculi cum colo concreti et puris in colo depositi. Aliam Soemmeringvs vidit

---

27) P. Frank l. c. Tom. II. pag. 244.

28) cf. Kleydgen dissertat. de phthiseos ventriculi pathologia. Bonnae 1820. pag. 50.

ventriculi cum hepate concretionem[29]. Imo interdum ad thoracis cauitatem pus penetrare, eoque costas corrodi tradunt auctores. Tunc ex febre hectica lethalem morbum esse, per se patet.

§. 3.

Ad tristissimos gastritidis exitus pertinet *gangraena*, quae omne artis auxilium inane reddit. In eam inprimis transit ventriculi inflammatio, quae venenis excitata est, item erysipelatosa, atque ea, quae cum febre neruosa complicatur[30]. Vehementissimi, quos supra commemoraui, ventricnli dolores subito remittunt atque euanescunt, haud raro in magnum errorem adstantium, qui bona exinde magis, quam mala praesagire amant. At vero non latet tunc expertum medicum summum, quod instat, periculum, acceduntque alia signa, quae vitae discrimen haud dubium reddunt. Vomitus enim, cum magna antea aegroti contentione coniunctus, ea nunc prorsus caret, facillimus existit aut plane cessat, aluusque pertinacissime hucusque clausa sponte iam et ipso aegroto inscio soluitur, excrementis insignem foetorem spargentibus. Succedit porro in ardoris interni vehementissimi locum horror crebrius repetitus ac recurrens, frigent, aut algent potius extremitates marmoris instar, corpus tegit sudor algidus, pulsus myurus est et intermittens, oculis nubila tenebraeque obuersantur, accedit habitus aegroti collapsus, facies hippocratica, accedunt suspiria atque singultus, interdum etiam meteorismus. Atque hoc modo vel placide exstinguitur aegrotus vel conuulsionibus correptus ultimum spiritum exhalat.

Post mortem in ventriculo omnia conspiciuntur inflammationis vestigia, ita tamen, ut aut intima tantummodo ventriculi tunica hic ibi

29) cf. Voigtel l. c. pag. 477.

30) P. Frank l. c. tom. II. pag. 245.

liuidis nigrisue maculis obsita inueniatur, dum in reliquis ventriculi locis vasa repleta et sanguine turgida inflammationem prodant, aut omnes omnino ventriculi tunicae affectae deprehendantur, saepius facile friabiles, imo perforatae interdum existant.

CAPUT II.

De membranarum ventriculi dissolutione et perforatione spontanea.

§. 1.

Quem nunc paullo accuratius describere aggredior, morbus, isque infantili aetati inprimis proprius, variis apud scriptores nominibus insignitur; ab Huntero digestio ventriculi post mortem, a Laisneo erosio et perforatio spontanea, a Iaegero emollitio ventriculi, a Masso dissolutio membranarum ventriculi nominatus. Is probe distinguendus est ab aliis ventriculi rupturis et perforationibus, quae vel ex ingesta nimia ciborum copia, vel abscessu, ulcere, aut carcinomate oriri possunt. In quibus omnibus desideratur, quae huic morbo propria est, membranarum ventriculi, ut ita dicam, emollitio gelatinosa atque pultacea, de qua longior infra sermo erit. Erunt autem fortasse, qui mirentur, me, de gastritide disserentem, istam ventriculi destructionem, quam variis caussis tribuerunt scriptores, inter istius exitus numerasse. Sed plura sunt, quae me ad hoc consilium impulerunt, de quibus, exhibita antea morbi ipsius delineatione et expositis clarissimorum medicorum de eo opinionibus, in fine huius capitis fusius dicam.

§. 2.

Symptomata, quae ventriculi dissolutionem dicuntur praecedere, his fere continentur. Absque ullis prodromis, vel vix conspicuis, subito plerumque ciborum desiderium diminuitur, aut plane perit, sitis ingens oritur, lingua perrubra est et aphthis interdum obsita; calent manus, arteriarum pulsus frequens et paruus est et nonnunquam intermittens, pallet facies, summam experiuntur infantes anxietatem, dolet plerumque abdomen, inprimis epigastrica regio, attrahuntur cura ad ventrem cum insigni corporis iactatione clamoribusque continuis et ex tactu externo vehementer auctis. Vomitus modo statim ab initio morbi, modo serius accedit vehementissimus, isque nullis remediis compescendus. Sensim sensimque clamor in gemitum mutatur, aegroti incumbunt dorso, cutis magis magisque frigescit, facies pallida atque hippocratica redditur, distorquentur oculi, accedunt leuiores conuulsiones breuique aegrotus diem obit. Sunt tamen haec symptomata non cuncta semper conspicua, et quam maxime inter se variant. Ita Iaegerus[31]) historiam morbi narrat, in quo ultimis tribus quatuorue ante mortem diebus symptomata ista manifesta erant, sed antecesserat per quatuordecim dies diarrhoea mucosa cum vomitu rariore coniuncta. Manus calidae erant, appetitus diminutus, accedebatque tussis breuis et sicca. Morbus spatium duarum, quatuor, imo sex hebdomadum explebat, initium habens a febre et diarrhoea, quibus mox sese adiunxerant tussis spastica, tum vomituritiones et vomitus. Neque desunt exempla, in quibus ab initio aluus obstructa esset. Respirationem haud raro anxiam atque acceleratam obseruamus. In puero sex-

31) Ueber die Erweichung des Magengrundes in Hufelands Journal d. pract. Heilkunde. Bd. 52. St. 5. pag. 11.

enni ab initio febris conspicua nulla erat, at dolores abdominis, convulsiones et vomitus periodice redibant. Tandem in eorum paroxysmo aliquo post longam intermissionem aegrotus obiit[32]). Ad quae symptomata vario modo mutanda permultum faciunt aliorum morborum complicationes, ita, ut illa plus minusue aperta sint, imo prorsus defuisse dicantur. Saepissime enim hic morbus coniunctus est cum encephalitide atque hydrocephalo, qui vel morbum nostrum praecedunt, vel eum insequuntur, cuius rei exempla narrant Iaegerus[33]), Fleischmannus[34]), Massus[35]), Zellerus[36]) et alii. Et Iaegerus[37]) in duobus ex pneumonia defunctis, quorum alter iuuenis esset, alter senex, eandem ventriculi destructionem refert post mortem inuentam. Neuter extremis vitae diebus sui compos fuerat, atque in eo, qui iuuenis esset, magna erat inter piam matrem atque arachnoideam aquae copia collecta, quae caussa fuisse videtur, cur affecti ventriculi signa, durante ipso morbo, non obseruarentur. Laisneus[38]) mentionem quoque facit complicati morbi nostri cum peritonitide puerperarum sae-

32) Dissertatio inaugural. medic. de dissolutione membranarum ventriculi auct. G. H. Mass. Halae MDCCCXX. pag. 7.

33) l. c. Bd. 32. et 36.

34) Ueber Erweichung d. Magens u. dessen Leichenöffnungen. 1815. pag. 122 — 132.

35) l. c. pag. 9.

36) Dissertatio de natura morbi ventriculum infantum perforantis. Tubing. MDCCCXVIII.

37) l. c. Bd. 32. St. 5. pag. 20. sq.

38) Betrachtung über die v. selbst erfolgt. Zerfressung u. Durchbohrung d. Magens in d. neuen Samml. auserl. Abhandl. z. Gebr. für pract. Aerzte. Bd. IV. St. 4. pag. 615.

pius obseruati. Habuit quoque idem auctor ventriculum emollitum in puella annicula, tussi conuulsiua confecta, in qua inuenit aquam sub membrana arachnoidea et in ventriculis cerebri collectam [39]). Denique Massus [40]) istam ventriculi mutationem cum dysenteria epidemica coniunctam bis a se obseruatam asserit.

§. 3.

At vero, dum adhuc viuit aegrotus, morbi *diagnosis* perquam dubia est, et difficillima res affirmare, inventum iri post mortem eiusmodi ventriculi vel mollitiem, vel perforationem. Namque primum morbo cum cerebri morbis complicato, affecti ventriculi signa prorsus abesse possunt, deinde, si adsunt quoque omnia et conspicua, ea tamen non alia sunt, ac ea, quae gastritidem comitari solent. Nihilominus tamen Iaegerus ventriculum emollitum et perforatum futurum aliquoties se praediuinasse gloriatur. Tamen, si qua sunt signa, ex quibus illum suspicari liceat, haec maxime posita esse equidem existimarem in infantili aetate, in vomitu vehementissimo, atque in acutissimo ipsius morbi decursu. Sed summi momenti est hunc morbum a similibus ipsi recte distinguere, ne confundatur cum illa vomitus specie, omnis periculi experte, quae, e magna ventriculi sensibilitate exorta, infantili aetati communissima est et frequentissima. Haec autem non ita pertinax, ut ille, est, et aptis remediis facile cedit: febris, si qua est, multo mitior existit, neque tanta virium prostratio obseruatur, neque faciei singularis ille habitus. Vomitus autem a vermibus in ventriculum irreptis excitatus e vermituritionis signis in genere cognoscendus.

---

39) Iaeger l. c. Bd. 36. St. 1. pag. 36—41.

40) l. c. pag. 12.

Haec ventriculi destructio quum semper pro alius morbi exitu, eoque tristissimo, sit habenda, facile est intellectu, nullam vitae spem reliquam esse, ubi iste in illa finem suum habeat.

Prognosis etiam, si in uniuersum aliquam proferre liceat, maxime infausta est, tum propter diagnosin dubiam atque obscuram, tum propter organi affecti dignitatem et sensibilitatem, maiorem in infantili aetate, tum propter celerem morbi decursum, intra dierum, imo horarum[41]) aliquot spatium terminatum. Contra spes aliqua concipienda esse videtur morbo lente accedente, quo medico ad auxiliandum plus temporis datum sit. Iaegerus certe hoc sibi aliquoties contigisse narrat, ut hunc morbum chronice decurrentem sanaret. De qua assertione eo magis dubitandum esse videtur, quo clarius patet, vix quemquam exstiturum esse, qui contendere audeat, morbum quendam infantilem, etiamsi similia exhibeat symptomata, in eam, de qua loquor, destructionem certo abiturum esse. Denique per se intelligitur, qualemcunque complicationem morbum periculosiorem reddere; quod nescio an de ullo magis valeat, quam de hydrocephalo acuto.

§. 4.

Ad morbum nostrum praecipue disposita esse videtur aetas infantilis. Inter quatuor enim et viginti, quae apud scriptores enarrata vidi, exempla, viginti infantum sunt ex morbo nostro defunctorum. Iaegerus eum bis quoque in adultis vidit; nec minus huc pertinent tria illa, quae Hunterus habuit, cadauera hominum violenta morte exstinctorum. Burnsius nonnisi aestiuo tempore hanc ventriculi de-

---

41) Laisne l. c. pag. 623.

structionem sese observasse dicit, et ADAMSIUS [42]) eam in calidioribus vidit regionibus. Unde fortasse colligendum esset, calorem externum aliquid conferre, ut ventriculus ad istam morbosam mutationem procliuis reddatur. Ceterum et alimenta inepta permultum facere videntur ad hunc morbum procreandum. Plurimi enim infantum, quos IAEGERUS commemorat, in ablactationis periodo versabantur cibisque nutriebantur tenerae illi aetati haud congruis, solidioribus et farinosis. Denique non omittendae sunt aliorum organorum inflammationes, quibus ventriculi illa destructio saepius socia sese adiungit, uti encephalitidi exsudatiuae, atque, ex LAISNEI et IAEGERI obseruatis, peritonaei et pulmonum inflammationi.

§. 5.

Sed quum in morborum natura accuratius indaganda magna sit sectionum in cadaueribus institutarum utilitas, iam, quae mihi de illis innotuerunt, liceat proferre.

Differt autem, quae hoc morbo destructa est, ventriculi vel tubi intestinalis pars a reliquis in uniuersum tenuitate, laeuitate et pelluciditate [43]) sua. Colorem habet modo e viridi griseum, modo rutilum, et in massam gelatinosam mutatur, quae quo magis recedit a centro suo quasi, eo durior existit minusque pellucida. Modo canalis cibarii membrana intima tantum destructa est, modo neruea quoque et muscularis, ita, ut sola externa intacta sit, qua vero rupta simul cum emollitione perforatio oritur. Nec forma, nec magnitudo foraminis certos ac distinctos fines habet, manuumque contrectatione

42) MASS l. c. pag. 14.
43) MASS l. c. pag. 19.

utraque facile mutatur atque augetur. Modo eiusmodi foramina orbicularia sunt atque grossi magnitudinem aequantia, modo oblonga sunt et tanta, ut tota manus commode possit immitti. Eorum margines autem, ventriculo aquae innatante, fimbriis circumdati conspiciuntur. Plerumque fundus ventriculi huius destructionis sedes est; sed venit ea in aliis quoque ventriculi locis, ex Iaegeri e. g. aliorumque obseruationibus in pariete ventriculi anteriore, prope pylorum [44]) et cardiam. Interdum et tota membrana mucosa in massam gelatinosam mutata fuit, integris tamen reliquis ventriculi membranis. Ceterum in omnibus fere, quae a Laisneo, Iaegero, Masso, Zellero et Morino [45]) institutae erant, sectionibus ventriculo hic ibi inflammationis et gangraenae vestigia impressa fuere. Modo enim variae ventriculi tunicae roseo vel rubro colore tinctae erant, modo maculae rubrae, liuidae et nigrae variis in locis sparsae, modo foraminum margines profunde rubebant. Duo tamen refert Iaegerus exempla, quibus in ventriculo nulla inflammationis vestigia essent conspicua: alterum pueri quinque mensium [46]), in quo praegressis, quae in superioribus commemoraui, symptomatibus, ventriculi fundus emollitus erat absque ullis inflammationis vestigiis, canalis autem intestinorum tenuium leuiter inflammatus: alterum [47]) puellae undecim menses natae, tussi convulsiua, eaque diutius protracta, confectae. Praeterea in ventriculo latex plerumque mucosus aliquis, viscidus, fuscus, subniger, odoremque modo dulcem, modo acidulum spargens continetur, testibus

---

44) Mass l. c. pag. 21 sq.

45) Morin dissertation: considérations générales sur l'érosion. Paris 1806.

46) Iaeger l. c. Bd. 36. St. 1. pag. 18-22.

47) Iaeger ibid. pag. 36-41.

Chaussiero et Iaegero, quorum hic ex latice isto acidum aceticum chemica arte separauit.

§. 6.

Variae ac diuersae exstant de natura huius morbi, quem primus obseruauit Hunterus, (obseruations on different parts of animal oeconomy,) opiniones. Hunterus enim eum exortum putat a succo gastrico, qui tanta vi polleat, ut etiam post mortem res sibi oblatas possit dissoluere; vixque inueniri, qui, prospera valetudine gauisi, sed subitanea morte erepti, post mortem ventriculi superficiem internam quodammodo erosam non habeant. Ad quam opinionem comprobandam tria affert exempla, alterum hominis suspendii supplicio dati, reliqua duo ab hominibus cranii fractura enecatis desumta. Tum, quo probabiliorem reddat suam hypothesin, nonnisi posteriorem ventriculi parietem ait emollitum inueniri, quippe qui, ob reclinatam cadaveris positionem, solus inundetur succo gastrico hoc in loco collecto. At vero quod attinet succi gastrici post mortem secretionem et dissolutionem membranarum ventriculi exinde oriundam, Spallanzani [48]) reiteratis experimentis conuicit, succum gastricum non secerni nisi ubi ad concoquendos cibos eo opus habeat ventriculus. Deinde e Spallanzani et Soemmeringi [49]) obseruatis non in omnibus cadaveribus ventriculi membrana intima corrosa inuenitur. Denique quantum ad illud argumentum, cui Hunterus plurimum tribuit, a positione cadaueris supine reclinata repetitum, Chaussierus [50]) contendit, in quolibet ventriculi loco inueniri posse talem membranarum

---

48) cf. Laisne l. c. pag. 611.

49) cf. Iaeger l. c. Bd. 32. St. 5 pag. 5 sqq.

50) cf. Laisne l. c. pag. 632.

dissolutionem, idque probat multis eiusmodi exemplis[51]), in quibus non solum anterior ventriculi paries, verum etiam oesophagus et intestina cum tenuia, tum crassa, emollita inuenirentur. Burnsius quoque (Edinburgh medical and surgical Journal. vol. VI. pag. 129.) totum tubum intestinalem dissolutum et a cardia inde, usque ad intestinum rectum, gelatinosum quater sese reperisse affirmat, additque, ut Hunteri opinionem quodammodo adiuuet, posse succum gastricum omnino talem destructionem efficere, sed eum tantummodo, qui in mortis momento in vasis secretoriis adhuc contineatur. Cui opinioni tamen repugnat, quod reliqua quoque intestina hoc modo dissoluta inuenta fuerint. Denique si haec destructio ventriculi succi gastrici efficaciae et post mortem residuae tribuenda esset, haud dubie nulla eam praegressura essent ventriculi male affecti phaenomena.

Laisneus[52]) breuissimis ita se expedit, ut dicat, morbi symptomata solummodo patere, non item claram esse et sufficienter explicari posse destructionis originem.

Duplicem denique diuersis temporibus Iaegerus fouit de hac re opinionem. Primum[53]) enim eam explicauit e perturbato systemate neruoso et exorta exinde paralysi, quam sequatur membranarum canalis intestinalis dissolutio, eamque sententiam probare studuit citato iuuenis exemplo, qui ex assumta nimia spiritus vini copia repente diem obiisset. Hanc paralysin vocat e nimia irritatione exortam; tamen in cadauere ventriculum in regione cardiae inflammatum repertum fuisse addit. — Post[54]) autem, detecto scilicet et elicito, de

51) cf. Jaeger l. c. Bd. 36. St. 1. pag. 45.

52) l. c. pag. 631.

53) Jaeger l. c. Bd. 32. St. 5. pag. 26.

54) Jaeger l. c. Bd. 36. St. 1. pag. 73 sqq.

quo supra diximus, acido acetico ex latice illo, qui non solum inest ventriculo, verum etiam deprehenditur in intestinis, sententiam suam ita mutauit, ut diceret, perturbato systemate neruoso primarum viarum et secretionem et reactionem ita mutari, ut secreta nimia acidi illius copia intestinorum membranas dissoluere atque emollire valeat. Cui acido si qua etiam vis in emolliendis visceribus tribui posset, tamen, ut morbus quidam praegressus illorum structuram mutauerit, ideo necesse esse videtur, quod ipsum acidum et concentratum adeo, aliaque acida multo fortiora in ventriculo sano eiusmodi dissolutionem efficere nequeant. Quare mihi arridet maxime ea opinio, quam, quantum equidem scio, primus RICHTERUS [55]), deinde MASSUS [56]) proposuerunt: „dissolutionem membranarum ventriculi praegressae inflam„mationi, vel acutae, vel chronicae, suam originem debere.“ Ipsa autem emollitio ad sphacelum proxime accedere mihi videtur, quamuis longe absim, ut contendam, unamquamque ventriculi corrosionem inflammationi esse adscribendam, sed eam tantummodo, quae viuente aegroto suis se signis prodiderit.

Si respexeris symptomata illa omnia, quae emollitas ventriculi membranas praecedere supra diximus, ne unum quidem eorum invenies, quod desit in gastritide. Affert quidem IAEGERUS nonnulla exempla aegrotorum, quibus abdomen tactum nullum dolorem ciere videbatur; sed infantes hi omnes erant hydrocephalo acuto laborantes, in quo morbo complicato deficientis etiam, vel potius non percepti, doloris caussa quaerenda mihi esse videtur. Quid? quod TH. WALSH-

---

55) l. c. Bd. 4. pag. 78.

56. l. c. pag. 32.

MANNUS[57]) narrat, se in homine ventriculi erysipelate emortuo ipsum ventriculum pultaceum atque emollitum inuenisse. Et quod attinet tria illa exempla, ab HUNTERO obseruata, ea MASSO[58]) suspecta et accuratius indaganda esse videntur; quum a nemine medicorum, nisi ab ipso HUNTERO, eiusmodi dissolutio membranarum ventriculi in hominibus violenta morte defunctis descripta sit. Unde MASSUS addit, persuasum sibi esse, illis in casibus ventriculi erosionem fortuitam fuisse. Quo posito, praegressa inflammatio chronica fuerit, necesse est, quae, dum viueret aegrotus, vel nullis signis sese proderet, vel medici obseruationem effugeret. Et in uniuersum arbitror, rem saepius ita esse, ut ventriculi dissolutionem praecedat inflammatio chronica, eaque magis occulta, quam aperta, cui ultimis vitae momentis accedat inflammatio acuta, certe illis in casibus, ubi intra paucarum horarum spatium aegroti hoc morbo emoriuntur. Namque haud verisimile est, talem ac tantam membranarum destructionem tam breui tempore existere et perfici posse.

II. Alterum argumentum repeto a cadaverum sectionibus, ad easque tantummodo respiciam, quarum in superioribus a nobis mentio facta fuit. Duo autem tantummodo exempla habet IAEGERUS, in quibus nulla inflammationis vestigia erant conspicua, alterum tamen eorum tale, in quo intestinorum tenuium inflammatio illam ventriculi affectionem praegressa esse videtur: alterum puellae tussi conuulsiua confectae, in qua fortasse ob morbi diuturnitatem tota iam pars affecta in massam gelatinosam abierat. In tabulis vero aeneis, quae adiunctae sunt dissertationi Exp. MORINI, conspiciuntur ventriculi plures emolliti

---

57) VOIGTEL l. c. pag. 462.

58) l. c. pag. 19 sq.

atque perforati, quibus omnibus fere inflammationis atque gangraenae notae haud desunt. Ita tab. I. fig. 2. ventriculum exhibet in anteriore parte perforatum, cuius emollitionem auctor gangraenae tribuit. Tab. II. fig. 1. repraesentat illam ventriculi partem perforatam, quae lieni proxime adposita est; eumque diaphragmatis et ventriculi locum, quo utrumque organon alteri vicinum est, permultis vasorum ramulis conspersum conspicimus. In explicanda tab. III. fig. 1, qua alius ventriculus perforatus delineatus est, auctor haec addit (pag. 17): „On doit aussi remarquer, que tous les vaisseaux capillaires de la membrane interne de l'estomac étaient dans un développement extraordinaire." Idem conspicuum est in eiusdem tabulae fig. 2., ubi anterior ventriculi paries pluribus in locis perforatus est. Quae quidem quatuor exempla inflammationis vestigia non solum clarissime nobis ostendunt, verum et auctor ipse erosionem praegressae irritationi tribuit[59]. In illo autem casu, cuius Iaegerus meminit[60], aegrotus e pneumonia vehementiore exstinctus extremis vitae diebus sui compos non fuerat. Inflammatio a pulmonibus ad ventriculum propagata esse videbatur: pulmo enim sinister inflammatus adhaerebat diaphragmati in regione foraminis oesophagei, quae pars diaphragmatis ipsa discolor et maculis sphacelosis notata erat: fundus ventriculi emollitus conspiciebatur et pluribus in locis perforatus, villosa autem tunica emollita inueniebatur, rubra et maculis ex atro rubentibus et gangraenosis inspersa. Simili modo et inflammatio peritonaei ad ventriculum in Laisnei aegrotis transiisse videtur.

III. Tertium denique, quo utor ad confirmandam Richteri et Massi opinionem, argumentum a remediorum actione desumo. Quod

59) Morin l. c. pag. 13.

60) l. c. Bd. 32. St. 5. pag. 20.

licet per se minoris momenti sit, tamen non prorsus praetermittendum esse censeo. Iaegerus[61]) quidem, paralysi neruorum futurae occurrendum esse ratus, remedia, quae dicuntur neruina et stimulantia, aërem carbonicum, alcalia, moschum, opium, zincum, amara, aromatica et laxantia in usum vocauit. Praeterea vesicatoria et sinapismos imponi iussit regioni ventriculi, eamque inungi suasit rebus spirituosis et volatilibus. Sed frustra; quippe quae nihil prorsus valerent ad mortem arcendam. Nam quamuis glorietur, se morbum nostrum, ubi chronicus fuisset, persanasse mixtura e tinct. rhei aquos., ol tart. per deliq., extr. fruct. aurant. immatur., syrup. diacod. et aq. foeniculi composita, tamen an indubia fuerit et certa morbi diagnosis, recte dubitari potest. Si quicquam enim in hoc morbo sperandum est a medicamentorum administratione, Masso assentiendum esse puto, qui methodum antiphlogisticam, eamque, ob praesentissimum periculum, totam in usum vocandam esse censet, ideoque largas potissimum commendat sanguinis detractiones.

CAPUT III.

De scirrho et carcinomate ventriculi.

§. 1.

Quum gastritis, inprimis chronica, scirrhum et carcinoma ventriculi haud raro procreet, aut potius in his exitum suum habeat, pauca quoque de iis scriptioni meae addenda putaui, quae, si fusius exponerentur,

61) l. c. Bd. 32. St. 5. pag. 27.

sane non ad dissertationem academicam, sed ad librum integrum conscribendum sufficerent.

Tria plerumque statuunt scirrhi stadia, quorum singulorum symptomata iam breuiter enarrabo.

I. *Stadium primum.* (*Scirrhus incipiens.*) Ad symptomata incipientis in ventriculo indurationis scirrhosae referuntur dolor fixus in ventriculi regione, plus minusue vehemens, premens potius atque gravans, quam lancinans et pungens, isque modo periodicus et cardialgiae simillimus, modo continuus, vel certe subcontinuus. Interdum ponderis tantum sensus in illa regione percipitur et aegroti alieni quid ibi persentire putant, quod modo sursum, modo deorsum moueatur; sed haud raro dolores ad dorsum quoque propagantur atque ad humeros usque, cibis ventriculo ingestis aucti. Rarissime hoc in stadio digitorum ope tumor iam detegi potest, sed oriuntur post alimenta assumta, inprimis post prandium, vel statim, vel horis aliquot praeterlapsis, (quod varium est pro varia scirrhi sede), nausea, vomituritiones et ipse vomitus. Modo cibi assumti tantummodo evomuntur, modo eiicitur simul cum illis materia acida, pituita et bilis. Accedunt quoque inter aquae in ore colluuiem ructus foetidi, acidi et calidi. Peracta digestione quies plerumque sequitur, haud raro tamen vacuo quoque ventriculo vomitus oritur spastico similis. In celeriore morbi decursu diarrhoea obseruatur, saepius etiam alui obstructio. Clysmata atque laxantia ad tempus aliquod leuamen aegrotis afferunt[62]). Ciborum desiderium interdum non modo non deprauatum est, verum etiam adauctum, lingua pura, sitis maior, urina ut plurimum limpida et aquosa,

---

62) Chardel über die scirrhösen Ausart. des Magens in d. neuen Sammlung auserles. Abhandl. z. Gebr. für prakt. Aerzte 1820. Bd. IV. St. 3. pag. 456.

cutis frigida[63]), pulsus plerumque normalis, modo naturali mollior, modo durior et frequentior. His denique accedit languor quidam atque inertia uniuersi systematis reproductiui. Ceterum non stabile est et fixum, per quod incipientis scirrhi periodus duret, tempus. Namque ad plures interdum annos protrahitur.

II. *Stadium secundum.* (*Scirrhus confirmatus.*) Sensim sensimque stadium primum in secundum sibi transitum parat, qui tamen certis limitibus circumscribi nequit. Dolores ventriculi increscunt et euadunt subcontinui, mitigari tamen possunt consopientium remediorum usu. Alui obstructio pertinacissima est, excerniturque interdum materia pici aut meconio similis[64]; rarius diarrhoea in locum illius succedit. Aegrotus in dies minorem ciborum, inprimis duriorum, copiam ingerere potest, quibus vomitus suscitatur vehementior, alimenta viscido muco mixta reiiciens. Haud raro accedunt anxietas et palpitatio in cordis atque epigastrii regione, sapor plerumque ingratus, amarus, acidus et ructus foetidi, lingua tamen pura manente. Destituitur simul magis magisque aegrotus et carnibus, et viribus, unde et nunc ipse tumor exploratione externa facilius detegi potest. Color aegroti pallidus redditur, flavescens et luridus[65]), neque desunt denique febris hecticae superuenientis vestigia.

III. *Stadium tertium.* (*Exulceratio.*) In hoc dolores ad summum perueniunt gradum et propter insignem corporis macorem tumor digitis facillime distinguitur, isque modo maior, modo minor, modo circumscriptus, modo diffusus. Ipso autem vomitu ne

63) Dissertatio obseruatt. circa scirrhorum ventriculi diagnosin sistens auct. I. E. Schwarzenberg. Halae MDCCCXIX. pag. 21.

64) Chardel l. c. pag. 458.

65) Broussais l. c. pag. 13.

per opii quidem usum compescendo materia eiicitur foetida, nigra, fuligini similis, interdum mucosa et striis atris tincta. Eiusdem indolis esse solet stercus, potissimum tum, ubi ad pylorum morbi sedes est. Cessant quoque et pereunt somnus et ciborum desiderium, aluo obstructae ultimo morbi tempore diarrhoea haud raro succedit, prodit febris hectica et perspicuae eius exacerbationes, tum sudores profusi et diarrhoea colliquativa, oedema pedum atque hydrops. Interdum et paulo ante mortem vomitus silet. At vero in his symptomatibus omnibus, quotquot sunt, vix unum habemus, quod carcinomati ventriculi pathognomonicum sit et ipsi proprium. Nam ea et in scirrho non exulcerato interdum occurrunt, ructusque foetidissimos, coniunctos cum vomitu materiae nigrae et purulentae, quos Pembertonus [66]) refert ad carcinomatis signa, Albersus etiam in sola induratione scirrhosa obseruauit. Ceterum dolor in hac morbi periodo continuus est, vehementissimus et ita urens, ut plerumque ab aegrotis comparetur carboni candenti in ventriculo posito. Pembertonus addit, dolorem mitiorem reddi alimentis blandis et mucilaginosis, contra augeri acribus et salsis. Sed haec de scirrho quoque valent, ita, ut ante cadaveris sectionem vix vere praedicere possis, aut scirrhum exulceratum inventum iri, aut secus esse futurum. Mors plerumque placida est et tranquilla, rarius conuulsionibus aut suffocatione turbata. Rupta autem membrana externa ventriculi, quae eo continentur, in cavitatem abdominalem effunduntur et celerrima mors sequitur, iam in secundo interdum morbi stadio vitae finem inferens. Rara quoque exstant quaedam exempla scirrhorum et carcinomatum ventriculi, quae nullis sese signis manifestasse aiunt

66) Pemberton über versch. Krankh. des Unterleibes a. d. Engl. von Gerhard v. d. Busch mit Anmerk. von Albers. Bremen 1817. pag. 136.

auctores. Ea potissimum exstant apud MORGAGNIUM[67]) atque ALBERSUM[68])

§. 2.

Perdifficilis saepe est scirrhi ventriculi *diagnosis*, quare et PEMBERTONUS[69]) aperte profitetur, nullum se signum nosse, quod incipientis morbi praesentiam certam reddat atque indubitatam. Neque de scirrho ventriculi incipiente certi esse possumus, nisi ventriculi tumorem illum, quem supra descripsimus, perceperimus sub tactu dolentem, et coniunctum cum vomitu materiam nigricantem foetidamque reiiciente et ex ingestis ventriculo quibuscunque inter summum dolorem aucto; tum accesserit cachectica facies et lentum quidem, sed manifestum molestiarum omnium augmentum. Tamen non ex singulis, iisque indiuiduis symptomatibus diagnosis desumenda est, sed iis potius, quae diximus, omnibus inter se coniunctis. Ab *inflammatione ventriculi chronica* difficillime, praesertim in initio suo, distingui potest scirrhus, facilius a *vomitu spastico*. Hic enim citius et sine prodromis aegrotos inuadit, cum hysteria aliisque affectionibus spasticis coniunctus est, nec purulenti, sed fluidi aquosi eiectionem comitem habet; quamuis CHARDELUS[70]) affirmat, se in vomitu quoque mere spastico materiam subnigram eiectam obseruasse. Ab *indurato* autem *hepatis lobo sinistro*, qui medicum facile decipere potest, praesertim ubi tumorem habes in regione epigastrii, et vomitum vehementiorem ex compresso ventriculo excitatum, eo scirrhus ventriculi differt, quod praeter reliqua affecti hepatis signa pathognomonica adsit cutis color flavescens, et excrementa albida, et argillacea quasi, deponantur, tum eo inprimis, quod aegroti antrorsum inclinati levatos sese sentiant, quod secus est in scirrho ven-

67) cf. CHARDEL l. c. pag. 417.

68) PEMBERTON l. c. pag. 134. in adnotat.

69) l. c. pag. 156. 70) l. c p. 482.

triculi. In *pancreatis* autem *scirrho* dolor profundius residet, et, quod vomitu eiicitur, fluidum non purulentum est, sed saliuae potius naturam refert.

Ceterum et cum *morbo nigro Hippocratis* cumque multis aliis morbis, qui vomitum chronicum comitem habent, confundi posset scirrhus ventriculi, ad quos pertinent *calculi fellei* atque *urinarii*, *aneurysmata*, *tubercula pulmonum*, *indurationes* et *scirrhi glandularum meseraicarum*, *abscessus et herniae ventriculi*, *prolapsus uteri*, *stricturae intestinorum* et alia plura. Sed habent haec omnia peculiaria et propria sibi symptomata, atque qui accurate respicit, omnem facile hac in re errorem effugiet.

§. 3.

Scirrhus quum modo in cardia, modo in pyloro, modo in fundo ventriculi sedem suam habeat, hoc curarunt medici, ut signa quaedam afferrent, ex quibus varia scirrhi et carcinomatis in ventriculo sedes accuratius cognosceretur. Haec mihi liceat breuius enumerare.

I. *Signa scirrhi cardiae.* Primarium scirrhi in cardia residentis signum dolor esse videtur in cardiae regione fixus, qui potissimum post assumtos cibos exoritur. Hunc dolorem PEMBERTONUS [71]) tensioni simillimum esse ait et circumscriptum, qui ad dorsum usque propagetur et cum sensu suffocationis optime comparari possit. Cibi deglutiti et ad dolentem illum locum descendentes ibi paulisper haesitare videntur, et, morbo maiorem iam gradum nacto, vomitu peculiari quodam eoque ad singultus naturam proxime accedente statim reiiciuntur. PEMBERTONUS contendit quoque, in aegrotis multum emaciatis tumorum tactu percipi posse, quod contra negat CHARDELUS [72]).

II. *Signa scirrhi pylori.* In hoc non statim post ingestos cibos,

---

71) l. c. pag. 133. 72) l. l. pag. 470.

uti in scirrho cardiae res est, oritur vomitus, sed duabus demum tribusue horis praeterlapsis; cibi eiecti concocti magis sunt et materia nigricante commixti. Dolor praecipue versus hypochondrium dextrum, quo et tumor deprehenditur, sedem habet, multumque augetur a tactu externo. Adest plerumque pertinacissima alui obstructio, rarius diarrhoea. Extenditur etiam in hoc morbo ventriculus interdum ita, ut ad ipsum os pubis usque descendat [73]. Broussaisus quoque affirmat, pylorum, qui ab initio morbi fere clausus sit, hoc diutius persistente, nonnumquam ita relaxari, ut cibi crudi intrent intestina ibique inflammationem procreent.

III. *Signa scirrhi fundi ventriculi.* Parum in eo distendi potest ventriculus, tumor plerumque ingens percipitur in epigastrio, quem ad hypochondrium sinistrum usque interdum transire dicunt. Vomitus etiam rarior esse solet, quam in scirrho cardiae.

Fit etiam interdum, ut in omnibus illis, quas dixi, regionibus plures scirrhi et simul inueniantur, quo necesse est, symptomata vehementiora existere, mortemque multum exinde praecipitari.

Denique Schwarzenbergius [74] laudabilem operam consumsit in inuestigandis signis, quibus scirrhi singularum membranarum ventriculi distincte cognoscerentur. Sed vereor, ut quisquam ad hunc finem sit peruenturus.

§. 4.

Ad *caussas* scirrhi praedisponentes pertinent inprimis aetas virilis (nullum enim memini hominem ante trigesimum vitae annum hoc morbo correptum), temperamentum porro melancholicum et constitutio corporis lymphatica. Omnium creberrime scirrhus ventriculi in-

73) Broussais l. c. pag. 194 sq.

74) l. c. pag. 33.

ter sextum et trigesimum atque sexagesimum sextum annum obseruatur. Mares quoque saepius, quam feminae[75]), hoc morbo corripi dicuntur, infantes nunquam. Denique et Broussaisus[76]) loci, quo quis degit, humiditatem ad caussas scirrhi ventriculi refert.

Quod caussam proximam attinet, ea fere semper mihi videtur quaerenda esse in inflammatione ventriculi eiusque glandularum chronica, licet exempla non desint scirrhi ventriculi ex haematemesi exorti. Sed quod indurationes ventriculi saepe in carcinoma abeant, huius rei caussa haud dubie repetenda est a continua indurationis irritatione, quae reiterata vice et excitat et sustinet inflammationes. Caussae igitur occasionales scirrhi ventriculi non aliae sunt, ac illae, quas iam supra exposui in gastritidis et acutae, et chronicae aetiologia. Tamen non alienum erit, eas, quibus saepissime scirrhus excitatur, brevibus commemorare. Pertinent scilicet huc scabies aliaque exanthemata retropulsa, haemorrhoidum mensiumque suppressio, metastases arthriticae, ulcera intempestive sanata; porro nimius spirituosorum usus, refrigeria admissa, labores cum abdominis compressione coniuncti, luxationes et fracturae cartilaginis xiphoideae, thoraces feminarum, venena acria et corrosiua, laesiones et contusiones ventriculi, et animi pathemata deprimentia, qualia sunt tristitia, moeror et huius generis alia.

Pessima in scirrho ventriculi *prognosis* est, quod facile patet, si reputaueris, morbum ab initio suo difficillime recte cognosci, postea autem, ubi iam ad gradum maiorem peruenerit, omnem fere remediorum efficaciam constanter et pertinaciter eludere.

§. 5.

In cadauerum sectionibus scirrhum ventriculi variis in locis invenimus, nimirum in cardia, pyloro et fundo ventriculi, uti iam su-

75) Chardel l. c. pag. 455. 76) l. c. 193.

pra monuimus. Frequentissimus tamen omnium pylori scirrhus est. Interdum quoque omnes istas ventriculi regiones scirrhis obsessas conspicimus. Cardiae autem et pylori scirrhi modo partiales sunt, modo totales, ita ut nonnunquam cardiam atque pylorum prorsus obstruant, cuius rei exempla narrant AMILHONUS, RIVERIUS[77]) et alii. Circa scirrhum et carcinoma vasa varicosa existunt et margines ulceris callosi. Membrana ventriculi intima modo rubra, modo nigra conspicitur, tecta simul vasis turgescentibus et varicosis. Scirrhi autem ipsi e variis ventriculi locis, variisque, quae eum componunt, partibus originem habere videntur[78]).

a) Glandulae ventriculi durae et tuberculosae inueniuntur, earumque induratio sensim sensimque ventriculi tunicis communicatur.

b) Lympha effusa in telam cellulosam, quae est inter ventriculi membranas, tumorem ibi efficit variae magnitudinis, et molliorem, quam qui glandularum esse solet. Haec materies in cellulis congesta atque collecta a CHARDELO albumini cocto similis esse dicitur, et proxime accedere videtur materiae illi cerebriformi (Encéphaloides s. matière cérébriforme), quam LAENNECUS[79]) ita describit: „est materia coloris „lactei et similis substantiae medullari cerebri infantum.“ Hanc saepissime in scirrhis ventriculi occurrere contendit[80]); imo carcinomata ventriculi addit interdum ex ea sola constare, quam vocat „dégénération cérébriforme des organes“ (medullary sarcoma secundum ABERNETHYUM.) Ex LAENNECI obseruatis ista destructio plerumque posita est in tunica musculari ventriculi, et, quod exinde oritur, carcinoma saepissime perforationem ventriculi putat efficere. Fungum autem

77) cf. VOIGTEL l. c. pag. 520.

78) CHARDEL l. c. pag. 428. sq.

79) Dictionnaire des sciences médicales. Tom. Xij. pag. 167.

80) ibid. pag. 175.

haematodem, morbo nostro simillimum, nusquam in ventriculo inventum esse legimus.

c) Indurationes et tubercula e membrana mucosa ventriculi enascuntur et serius demum reliquas huius organi tunicas in morbi societatem vocant. Illa autem ipsa membrana plerumque solito crassior, interdum etiam exulcerata conspicitur.

Ceterum, ubicunque scirrhus in ventriculo sedem suam habent, fere semper glandulae lymphaticae secundario modo afficiuntur.

Ipsius autem scirrhi magnitudo varia est; modo nucis auellanae tantummodo, modo capitis infantilis magnitudinem aequans [81]. Membranae ventriculi non solum erosae, verum etiam perforatae inueniuntur, et membrana interna cartilaginosam interdum habet duritiem. Saepissime simul cum scirrho ventriculi aliorum organorum abnormitates coniunctas obseruamus, quae illius vel caussae sunt, vel effectus. Huius generis potissimum sunt intestinorum stricturae, scirrhi et indurationes pancreatis, hepatis, lienis, glandularum meseraicarum, omenti, vesicae urinariae et tubercula iecoris; porro exulcerationes eorum, quae modo diximus, organorum, vel singulorum, vel omnium; denique adhaesiones inter ventriculum atque hepar, pancreas et alia viscera abdominalia.

His breuiter a me expositis, ad tabularum, quas huic dissertationi adiunxi, explicationem transeo, quo imagine illustrem varios, per quos chronica ventriculi inflammatio ad scirrhum usque et carcinoma abeat, gradus.

---

81) Voigtel l. c. pag. 482.

TAB. I.

Exhibet ea partem superficiei internae oesophagi atque ventriculi, praeciso utriusque pariete anteriore. Tunicam ventriculi mucosam inflammatione obsessam esse testantur vasorum sanguine repletorum fasciculi ruberrimi, qui frequentissimi deprehenduntur ad curuaturam ventriculi minorem atque cardiam. Praeterea, ut adaucta tunicae mucosae crassitudo, eaque maxima in inferiore oesophagi atque cardiae regione, in conspectum veniat, particula illius tunicae a musculari est separata.

Haec tunicae mucosae inflammatio chronica, quae nullis per vitam signis sese prodiderat, inuenta est in sectione cadaveris pueri decennis, qui a MDCCCXIV tussi conuulsiua cum hydrope anasarca complicata laborans in nosocomium Lipsiense erat translatus; quibus morbis serius superuenerunt hydrocephali atque hydrothoracis signa, coniuncta cum epilepsia. Praeter illam, quam modo commemorauimus, tunicae mucosae ventriculi affectionem, aliorum quoque organorum abnormitates fuerunt conspicuae, quas tamen, quum ad consilium meum non pertineant, hic silentio praetermittendas esse censeo, inprimis quum uberius sint descriptae ab Exp. Holzhauseno [82]), quo ablegatos cupio lectores meos. Qui tamen quum dissertationi imaginem huius ventriculi non adiunxisset, exoptatissima mihi fuit Exp. Cerutti beneuolentia, qui mihi hanc iconem, quam tum temporis sibi delineandam curauerat, tradidit, ut eam aeri incisam commentationi meae adiicerem. Ill. Clarus, praeceptor egregius et laude mea multo maior, a quo huius rei veniam petii, non tantum rogatam dedit, verum etiam suam huius ventriculi picturam benigne mihi commodavit, quo aeris scalptor, utraque inter se comparata, propius accederet ad naturam.

TAB. II.

Ventriculum ea repraesentat, cuius paries anterior a cardia pylorum versus ad dimidiam partem apertus et deorsum reuolutus est, ita, ut car-

82) Dissertatio de tussi conuulsiua. Lips. MDCCCXV.

cinoma, praecipue in posteriore pariete positum et totum fere pylorum praecludens, appareat.

A. A. Pars parietis anterioris non aperta.

a. a. a. a. Margo eminens, quae circumdat locum affectum.

b. b. Locus carcinomatis maxime eminens et in floccos deductus.

c. c. Antrum pylori.

d. Pylorus.

e. e. e. Pars sana et integra superficiei internae ventriculi.

Et hic ventriculus, et ille, qui sequente tabula conspicitur, in theatro nostro anatomico reperiuntur, eosque Exc. Weberi auctoritate depingendos et aeri incidendos curaui.

TAB. III.

Ventriculum exhibet inuersum, qui in media curuatura minore et anteriorem et posteriorem parietem versus induratus est. Cuius in loci indurati superficie interna fossa reperitur fere orbicularis, magnitudinis Ioachimici, quae margine coronata est eminente et calloso. In parte fossae posteriore lobi conspiciuntur pancreatis hoc in loco cum ventriculo concreti, quae adhaesio perforationem impediuit. Contra autem minor pars plane perforata est. Praeterea alia fossa animaduertitur minus profunda, cuius in fundo fibrae musculares apparent, tanquam cultro praeparatae [83]).

a a. Pars ventriculi superior, eaque callosa, sublata, ut totus destructionis ambitus possit conspici.

b. Pars pancreatis cum ventriculo concreta.

c. Perforatio ventriculi.

d. Fibrae musculares denudatae.

83) cf. Cerutti Beschreibung der patholog. Präparate des anatom. Theaters zu Leipzig. Leipz. 1819. pag. 228. No. 863.

Tab. I.



Tab. II.



J. F. Schröter ad nat. del. et sc.

Tab. III.



J. F. Schröter ad nat. del. et sc.